



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0844

Sabato 31.10.2015

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione conclusiva del 500° anniversario dell'arrivo da Roma della Sacra Immagine della "Madonna di Łask" nel Santuario omonimo dell'Arcidiocesi di Łódź (Łódź, 8 novembre 2015)

Il 5 settembre scorso è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Zenon Grocholewski, Prefetto emerito della Congregazione per l'Educazione Cattolica, ad Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione conclusiva del 500° anniversario dell'arrivo da Roma della Sacra Immagine della "Madonna di Łask" nel Santuario omonimo dell'Arcidiocesi di Łódź, in programma domenica 8 novembre 2015.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Mons. Tadeusz CIUPIŃSKI, Canonico del Capitolo Collegiale di Łask;

- Mons. Zbigniew TRACZ, Canonico del Capitolo Cattedrale di Łódź.

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratри Nostro

ZENONI S.R.E. Cardinali GROCHOLEWSKI

Praefecto olim Congregationis de Institutione Catholica

(de Studiorum Institutis)

Lodziensis ecclesialis communitas grato laetoque animo quingentos celebrat annos ab adventu sacrae imaginis Beatae Mariae Virginis, a Roma ad locum v.d. Łask translatae, hodie sedem videlicet praecipui sanctuarii Mariani totius archidioecesis. Ex alabastrite facta caelatura non solum ad pulcherrima monumenta aetatis e renascentibus artibus nuncupatae pertinet, sed testimonio etiam eminent multorum fidelium qui, saeculorum decursu, eam inspicientes, divina efflagitabant sibi suisque dona nec non omnibus regionis incolis. Summa

celebratio huius iubilaei, qua in archidioecesi Lodziensi initium dabitur etiam celebrationi millesimae et quinquagesimae anniversariae memoriae Baptismatis Poloniae, die VIII proximi mensis Novembris agetur.

Dilectae Lodziensis Ecclesiae Archiepiscopus Metropolita, Venerabilis Frater Marcus Jędraszewski, hac data occasione, quaedam pastoralia incepta suis proponit fidelibus, ut clare videre possint quomodo Mater Salvatoris et Mater nostra historiam istius terrae sit comitata. Idem Lodziensis Pastor humanissime a Nobis quaesivit ut aliquem eminentem virum ad memoratam celebrationem mitteremus, qui Nostras vices in Łask posset gerere Nostramque erga christianos ibi adstantes dilectionem manifestare. Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, qui, insignis Poloniae filius, Congregationi de Institutione Catholica diligenter praefuisti, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM** nominamus ad celebrationem V centenarii adventus Sacrae Imaginis Beatae Mariae Virginis, memorato die proximi mensis Novembris in Łask sollemniter agendam.

De Maria loqueris quae “verbo divino consentiens, facta est Mater Iesu, ac salvificam voluntatem Dei, pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personae et operi Filii sui totaliter devovit” (*Lumen gentium*, 56), atque omnes hortaberis ad spiritalem vitam renovandam adque testimonium fidei, Maria tota pulchra et sancta intercedente, rite praestandum.

Dum per Te consalutamus omnes Praesules et universum clerum ac Poloniae populum, qui Mariali cultu inter alias Nationes clare eminet, pro certo habemus illos renovato animo cunctas vires suas in opus evangelizationis esse impensuros. Nos autem omnes fideles qui ad sacrum illum locum peregrinantes advenient, precibus prosequimur atque Deum omnipotentem obsecramus ut, materno praesidio Beatae Mariae Virginis de Łask suffulti, praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius servare valeant.

Munus tuum, Venerabilis Frater Noster, magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter Tibi impertimus quam universis celebrationum participibus transmittas libenter volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Octobris, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[01881-LA.01] [Testo originale: Latino]
